







SPECIMEN IURIDICUM INAUGURALE

DE

NEGOTIIS GESTIS.

G.

SPECIMEN IURIDICUM INAUGURALE

DE

NEGOTIIS GESTIS.

Typis FRATRUM BELINFANTE,
Hagae Comitis.

SPECIMEN IURIDICUM INAUGURALE

DE

NEGOTIIS GESTIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI CHRISTIANI KIST,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS IURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN IURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET


JACOBUS VAN GIGCH,

HAGANUS,

LITT. HUM. DOCT.

DIE V MAII MDCCCLI, HORA III,

IN AUDITORIO MAIORI.



HAGAE COMITIS,

APUD FRATRES BELINFANTE.

MDCCCLI.

Forty
G

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS,

PRAECEPTORIBUS AESTUMATISSIMIS,

D. D.

SCRIPTOR.

7/23/29

PRAEFATIO.

Scio fore plerosque, qui aliud huiusce speciminis argumentum exspectent, quam in sequentibus tractatum: quibus de dissertatione antea interrogantibus de politia sanitatis, *ut hodie satis barbare dicenda est, me scripturum communicaveram. Sed quominus inchoatum iam diu negotium perficerem rationes sat graves prohibuerunt. Conquesti enim sunt alii, neque, ut videtur, sine causa, difficilius esse Latino sermone de argumento disserere, quod Romanis, ne dicam, incognitum, at certe parum elaboratum fuisse constat. Quamquam autem neutiquam puto in specimine iuridico requiri eam sermonis elegantiam, quae in optimis Latinis scriptoribus imitandis imprimis consistere videtur, quaeque magis magisque evanescit simul atque extra argenteae aetatis fines dicendi repetimus formulas, tamen et a re ipsa et a legislatoris proposito alienum esse existimo specimen Academicum edere, in quo fere omnia barbare dicta, nativo isto ac Romanis proprio colore ne leviter quidem tincta videri possunt. Restabat illud, ut vernacula lingua disputarem; at quum summos honores palam petendi consilium cepissem quo optimi Patris voluntati imprimis mos gereretur, nec libuit, nec licuit. Melius igitur visum est non dimittere sed differre propositum.*

Dilectum vero argumentum ex iure nostro defendere vix operae pretium est. Codicis enim nostri aliquot partes multi iique graves in iuris scientia viri illustraverunt: aliae ad hunc usque diem fere incultae et neglectae

iacent. Quibus et locum de negotiis gestis *esse annumerandum neminem fore qui neget, nisi forte in iure nostro plane hospitem arbitror. De iure Francico ex quo omnia legislator noster mutuatus est scripserunt complures, ex quibus qui praecipui esse videbantur sedulo consului:* Pothier, Toullier, Duranton, Dalloz. *At plerumque eorum sententiam refutandam potius, quam amplectendam putavi. De* Pothierii *opere* Toullierius *ipse iudicium tulit, partemque quae de negotiis gestis agit, minori quam caeteras cura tractatam vere, ut opinor, iudicavit. In eo imprimis summus ille Ictus mihi lapsus videtur quod nimis aequitati tribuens, quid iure perspicue et diserte statutum sit, praeterviderit. Reliquorum sententias propterea non amplectendas arbitratus sum, quod omnia ad Romanorum institutorum normam exegerunt, plurima inde introducere conati, quae ius ipsum e codice Napoleontis repetendum, mutatis saepenumero principiis, repellere atque repudiare videtur. Parum ergo auxilii Francici scriptores praestiterunt. Quam breviter vero* Zachariae *caput de negotiis gestis absolverit vel potius attigerit uno obtutu facile apparet. Sed claram hic illic mihi lucem attulit praeclarus ille* Chambonii *liber: de negotiis gestis (Die negotiorum Gestio), qui anno* 1848 *Lipsiae in lucem prodiit, Romana quidem tantum absolvens instituta, sed firmo et stabili fundamento vera et certa superstruens. Dolendum tamen est, quod nonnullae egregii libelli partes nebulis, quin imo densis nonnumquam tenebris offusae sint. Requirimus Francicorum dicendi elegantiam, solidam scriptoris doctrinam admirantes.*

Perpauca apud nos de argumento meo in lucem prodierunt. Plurimis, ni fallor, de negotiis gestis egit doct. Diephuis, *in opere quod dicitur:* Het Nederlandsch Burgerlijk regt. *Sed neque absolutam esse disputationem neque maiorem in eum locum quadrare inspecto libro apparet. Duas dissertationes de negotiis gestis cognitas habeo, ex quibus altera titulum prae se fert:*

DE NEGOTIORUM GESTIONE SINE MANDATO, *altera mihi ex doct.* DIEPHUISII *annotationibus innotuit*, *Anno* 1838 *Ultraiecti defensa a doct.* D. G. PESTERS, *quam tamen inspicere nec potui nec volui*, *quoniam melius fore existimabam mea proponere quam*, *quod mihi arridere potuisset Pesterii exemplum secuto*, *in tritam iam viam abduci.*

Haec habui praemonenda: quam brevissime omnia absolvere conatus sum, *non tamen ita breviter*, *quin erroribus repleta esse possint. De quibus ut admonear enixe rogo*, *sed ut fieri solet ab iis*, *qui in pluribus certaminibus victores declarati*, *tirones prima vice stadium ingressos diiudicant.*

Quod igitur bonum, *felix*, *fortunatumque sit pro virium tenuitate incepta absolvi. Sed absoluta neutiquam putarem*, *si grati animi sensum praeceptoribus significare praetermitterem. Quorum laudes praedicare meum esse vix existimo*, *quoniam pares a paribus tantum laudari fas est. Quae vero palam professus ero animi quodam impetu oborta pietati magis quam arrogantiae tribuentur. Tibi*, *Promotor aestumatissime*, Cl. VAN ASSEN, *gratias habere quam agere malo. Ne dicam quam hisce diebus expertus sum tuam in me benevolentiam*, *quum specimen hocce editurum consiliis non tantum adiuvisti*, *sed etiam disputando et falsa demonstrare atque emendare et nova suppetere non desiisti*, *lubet potius in memoriam revocare vespertinos istos conventus*, *quibus te praeside*, *lectiones tuas in usum forensem convertentes*, *amica ratione de iure disputare solebamus*, *ita ut magis magisque corroboraretur animisque penitus insideret cogitatio vitae nos primario loco*, *non scholae discere. Grato semper recordabor animo quod in nostra disciplina viam mihi arduam munire adhortando*, *suadendo*, *dissuadendo*, *per totum studiorum curriculum studueris*, *quod palam me posse praedicare ex intimo pectore gaudeo. Vobis quid debeam*, *viri clarissimi* COCK


et TYDEMAN, *penitus sentio vestraque egregia in me merita, omni vitae tempore agnoscere non desistam. Quominus te referam*, THORBECKE, *vir amplissime, cuius praeclarae institutionis recordatio animo numquam excidet, pudor verecundiaque vetant. Liceat quoque vobis animum gratum significare, viri clarissimi* DE WAL *et* VISSERING, *qui ad Academiam ornandam Leidam vocati, quum studiorum meorum ratio dilectam mihi urbem relinquere cogeret, ignotum iuvenem neque ullo modo vobis commendatum amice postea excepistis summaque benevolentia persecuti estis. Vobis omnibus, viri clarissimi, caeterisque Litterarum elegantiorum in alma nostra Academia antecessoribus, stet parvus iste libellus sincerae pietatis monumentum, quem vobis inscribere simul cum parentibus a re haud alienum visum est, ut quasi uno spiritu omnes, quibus omnia debeo, complectar.*

Sed officio non prorsus defunctus sum. Ingrati esset, doctissime et amicissime GOUDSMIT, *quid tibi debeam praetermittere et silentio premere, qui adolescentem in amicitiam recepisti et familiaritatem, quique amicis magis, eoque mihi carioribus confabulationibus, quam lectionibus, varias tuae disciplinae partes non tantum illustrasti, sed etiam eius scientiae, cuius amore ipse ardes, amorem meo in animo accendisti. Utinam gratiam tibi referendi exstaret opportunitas!*

Omnibus denique vobis me commendare liceat, praeceptores aestumatissimi. Diu vos servet incolumes in Academiae gloriam, scientiaeque decus D. O. M.

Vobis, dilectissimi commilitones, dulci amicitiae vinculo mihi coniuncti iam valedico. Mei servare memoriam vobis commendare nefas videtur. Quî enim breve locorum spatium sinceram amicitiam exstingueret?

Scr. HAGAE COM. m. Apr. MDCCCLI.



CAPUT PRIMUM.



§ 1.

DE OBLIGATIONIBUS, QUAE ORIUNTUR EX LEGE.

Quid sit lex. Negotiorum gestio iure Romano neque nostro oritur ex lege.

Voluntate, praesumta saltem omnium voluntate, efficitur id, quod *lex* dici solet. Commutat ista lex singulorum conditionem, naturalemque eorum et illimitatam libertatem circumscribit, quae existere non potest, simul ac cum aliis congrediuntur. Itaque lex, utpote declaratio voluntatis omnium, summa norma est ad quam vitam singuli dirigant necesse est.

Inde statim sequitur legis fundamentum in propria alicuius populi indole esse situm. Quoniam populi voluntatem repraesentat, omnes in se continere debet particulas, quae coniunctae ipsum constituunt populum; ex ea conficiatur, in quantum populi ingenium excultum sit.

Qua in re legum Romanarum imprimis consistit praestantia, in quibus, non fortuito natis, sed tractu temporum ex ipso populo ortis, quod populo proprium et salutare innotuerat a Ictis dispositum inque partes distributum explicabatur.

Sicuti vero coniunctio omnium efficit civitatem, sic omnium voluntas maximam potestatem constituit in

civitate: nempe legem [1]); cui potestati singulos cive subiectos esse rei naturae conveniens est, quia commun omnium voluntati suam subiecisse arbitrandi sunt [2]).

Sunt, qui ex tacito quodam contractu cum civitat inito explicare conentur, cur singuli cives legi adstrict sint: inde tamen posset confici civitatem et legem e singulos cives partes esse sibi e regione oppositas. A singulorum voluntas ratione legis est idem, quod par ratione totius.

Civis legi obstrictus est, quoniam ipsius etiam contine voluntatem et homo praeditus ratione existimari nequi quidlibet facere declaratae suae voluntati contrarium

Iam si sermo est de obligationibus ex lege ortis facil intelligitur, sic quoque definiri posse: obligationes, qua communis omnium voluntas ut tales agnoscit: alias obligationes omnium voluntate tantum introductas, e communi necessitate ortas. Quae quum ita sint, in obligationibus ex lege ortis unam tantummodo erit requisitum, nempe communis omnium voluntas, nec singulorum contrahendi animus requiretur. De istis igitur obligationibus vere dici potest: communem necessitatem introducere posse obligationes, sine voluntate partium quae istis obligationibus tenentur.

At, quandoquidem ista definitio vera est, lex desin esse fons purus obligationum, simul ac sermo est d

1) Inde non curiose dictum est illud a F. M. VAN DER DUIJN in Dis *de neg. gest.* (L. B. 1832) p. 2. *Hominum voluntas et ipsa lex- e proprios obligationum fontes.* Sibi invicem recte opponuntur *singulorum voluntas* et *lex*.

2) Papinian. in l. 1 D. de legg.: Lex est commune praeceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quae sponte vel ignorantia contrahuntur cöercitio, *communis reip. sponsio.*

singulorum voluntate aut facto. Animus omnium solus efficit legem, sola singulorum voluntas efficit nihil. Voluntas mea rei alienae gerundae nullius momenti est, neque obligationem gignit: tum demum obligatio nascitur, si facto aliquo meo voluntas potest cognosci: haecce igitur voluntas, facto quodam prodita, causa est directa obligationis.

Itaque lex non creat quod antea non existebat: sed formam tantum rei iam genitae induit, eique locum designat inter ceteras constitutiones.

In iure Romano obligationes, quae dicuntur oriri quasi ex contractu sunt duplicis generis: oriuntur enim aut ex omnium voluntate aut ex voluntate facto a singulis significata.

In titulo vero Codicis nostri, qui inscribitur: *de obligationibus, quae oriuntur ex lege (van verbindtenissen, die uit kracht der wet geboren worden)* de obligationibus prioris generis nulla mentio facta est: dispersae sunt per totum Codicem. Obligationes, de quibus agit titulus tertius libri tertii C. C. fundamentum habent significatam singulorum voluntatem aut factum. Inscriptio ergo huius tituli a re prorsus aliena videtur.

§ 2.

DE REQUISITIS NEGOTIORUM GESTIONIS.

Negotiorum gestio quid? Iure Romano, Francico, nostro. Tria requisita.

Quid sit negotiorum gestio iure Romano non definitur. Quamvis enim hic illic definitiones in iure Romano occurrant, fieri tamen solet, ut Icti, variis propositis

causis, omissa descriptione in initio, significent id, de quo agitur. Sequela est, ut videtur, rationis, qua ortum est illud ius Iustinianeum, quemadmodum aetatem tulit. Praxin semper primo et praecipuo loco intuiti ICti, definitionem, quae scholae magis est quam fori, praetervidebant, ita ut ex exemplis inter sese comparatis confici debeat. Interpretes sic explicuerunt: ***cum quis, alterius absentis vel praesentis, dummodo ignorantis negotia gerit utiliter.*** Iure autem nostro, de quo hoc loco agimus, in art°. 1390 C. C., verbotenus ex art°. 1372 C. Nap. expresso [1]), sic describitur: ***Wanneer iemand vrijwillig, zonder daartoe last te hebben bekomen, eens anders zaak met of zonder deszelfs weten waarneemt. — Lorsque volontairement on gère l'affaire d'autrui, soit que le propriétaire connaisse la gestion, soit qu'il l'ignore.***

Quoniam autem omnis definitio in se debet continere particulas, quarum coniunctione rei descriptae speciem nobis possimus informare, vix monere operae pretium erit requisita negotiorum gestionis iure nostro eadem esse quae iure Francico. Quorum tria a Durantonio [2]) commemorantur:

1°. Gestio ***rei alienae.***

2°. Gestio ***sine mandato.***

3°. Gestio cum consilio, non modo ***prospiciendi negotiis alienis***, sed etiam ***obligandi sibi dominum negotiorum***, saltem acquirendi ius agendi contra eum [3]).

---

1) Cf. Asser, § 710, pag. 486.
2) *Cours de Droit* (Brux. 3e ed.), Tom. VII, § 637, p. 478.
3) Cf. Pothier, *Traité des contr. de bienf.* Tom. II. p. 124.

Ubi vero legislator quid voluerit accurate edocuit, nihil video cur ab iis, quae perspicue statuit recedamus. Ex ipsa lege negotiorum gestionis requisita repeto, quoniam ex lege omne initium ducendum, adque eam omnis exitus referendus est. In lege denique certi sunt fines, quos ultro rectum consistere nequit. Tria ergo sunt iure nostro negotiorum gestionis requisita:

1°. Gestio *ex libera voluntate.*

2°. Gestio *nullo mandato intercedente.*

3°. Gestio *rei alienae.*

De quibus singulis agendum erit.

§ 3.

DE LIBERA GERUNDI VOLUNTATE.

Libertas requiritur obiectiva. Quid si animus existit, nullo tamen facto probatus? Quando libertas spectanda? Quid si alicuius negotium gessero, pro alio gerere existimans? Quid si alienum pro meo gessero? Quid si gesserint, quorum libertas non esset libera? Furiosus, minor, nupta.

Principium negotiorum gestorum est libera voluntas, sine qua ista obligatio cogitari non potest, ut supra vidimus. Requiritur libertas obiectiva, quae dicitur, ita nempe ut nec lege, nec voluntate alterius adstringamur. Itaque tutor, qui ex legis praecepto minoris negotia gerit, negotiorum gestor non est, nec magis mandatarius qui accepto mandato tenetur. Excluduntur omnes casus in quibus obiectiva necessitas est gerundi negotii alieni. Quod

si verum est, neque addubitari posse existimo, nimis generalem sententiam proposuit doct. DIEPHUIS (*Het Ned. Burg. Regt*, VI, pag. 337): *Men heeft daardoor uitgesloten het geval, dat er, buiten lastgeving, verpligting tot de waarneming bestond;* sin vero subiectiva quaedam existit necessitas, obligatio, quae dici potest *moralis*, non minus tamen libera voluntate dicetur gestor negotium suscepisse et negotiorum gestor esse.

Quodsi libera ista voluntas, si animus exstiterit, nullo tamen gestoris futuri facto probatus, an revera iam gestor dici potest?

Quam quaestionem propterea propono, quod DURANTON, l. l., § 643, scribit: *même après avoir conçu le projet de gérer l'affaire de quelqu'un' et m'en être ouvert à plusieurs personnes, je puis m'abstenir de la gérer, et je ne devrai aucune indemnité pour cela au propriétaire, si toutefois je n'ai empêché par là qu'un autre s'en chargeât.*

Exempli gratia, si quis tempore inundationis dixerit se curam habiturum vaccarum vicini, cuius stabulum aqua repletum est, curam tamen vaccarum non habuerit, dum alii, animalium gerere curam non amplius opus esse existimantes, promisso fidem habuerint, negotiorum gestor *non* erit dicendus.

Siquidem quis dixerit esse sibi animum gerundi negotii Gaii, voluntatem vero non declaraverit agendo, nullam esse negotiorum gestionem contendo. Sola enim voluntas nihil efficit. Quodsi v. c. pecuniam, quam non debeo, Titio dare volo, non tamen dedi, Titio adversus me non competet condictio indebiti, nec magis compete

si alteri consilium dandae pecuniae patefecero. Si in animum quis sibi induxerit, consiliumque alteri significaverit, Seium in triviis furem compellare, non tamen compellaverit, nullam Seius ex art° 1408 C. C. actionem habebit. Idem de negotiorum gestione contra DURANTONEM dicendum arbitror.

Libertas vero ista obiectiva quando spectanda est? Sufficitne libertatem exstitisse initio, an requiritur quoque per omne gestionis tempus, ita ut, si quis sponte sua sese immiscens rei alienae certae personae contemplatione, mox vero animadvertens errasse se alteriusque negotium gerere, nihilominus gestionem conficere debeat?

Et dicendum videtur, sufficere si libertas ab initio exstiterit. Quod in persona erraverit cuius gratia negotium suscepit, nihil facit. Nec quis mihi obiiciat art^m^ 1358, al. 2, ubi de contractibus dicitur: ***Dwaling is geene oorzaak van nietigheid, ten zij de overeenkomst voornamelijk uit aanmerking van den persoon zij aangegaan.*** Obligationes, quae ex voluntate unius personae oriuntur plane aliis normis regi, quam quae ex voluntate duarum originem capiunt, per se perspicuum est. Quod vide etiam ex analogia. Mandatum morte mandantis perit, art. 1850 C. C. non ita vero in negotiorum gestione. Tum demum mandatarius obligatus est rem mandatam perficere post mortem mandantis si negotio non statim confecto, damni quid existeret, art. 1837, al. 2, C. C. Multo magis generalia praecipit art. 1391 C. C. Si dominus negotiorum moritur negotiorum gestor rem gerere pergat necesse est. Quid si contemplatione tantum

mortui domini suscepit? Lex non distinguit. Sufficit voluntatem initio liberam fuisse.

Quod si tenemus haud difficile est varias quaestiones dirimere, quae hac opportunitate solent proponi; exempli gratia:

Si putaverim me rem Titii gerere et revera Gaii gesserim an negotiorum gestio sit?

Quam si Titius ratam habuerit nullum remanet dubium. Ceteroquin secundum regulam iam propositam puto dicendum, sufficere liberam voluntatem ab initio exstitisse, errorem vero factum infectum non reddere: me Gaii esse negotiorum gestorem.

At si alienum negotium gessero meum gerere existimans?

Agitur hic casus ubi negotium tantummodo meum gessero. Discrepant Ictorum sententiae. Toullier (*Le droit civil Français*, XI, p. 23. Brux. 1824) et Dalloz (in v. *obligations*, Chap. VIII, Sect. I, art. 1, § 3) negotiorum gestionem esse affirmant. Negat Pothier (l. l., § 189, p. 134. Cf. Zachariae, § 441, not. 3), nisus imprimis iure Romano. Sed vix addubitari posse mihi videtur, si modo expressam nostrae legis voluntatem animadvertimus: *Vrijwillig..... eens anders zaak.* Unum deëst ex requisitis: nulla est negotiorum gestio. Sic e. g. in patria nostra quaestio aliquando poterit agitari ubi urbs Leidae ius dominii in partem lacus Harlemensis probaverit et vindicaverit. Quod ius dominii si agnosceretur, quaeri potest num civitas (de Staat) iure vindicaret ab urbe Leidae partem sumtuum, qui in siccandum lacum facti sunt? Num civitas urbis Leidae

negotia gessisse dici posset? Patet iam ex superioribus quid respondendum sit: negotiorum gestionem non esse, sumtus actione negotiorum gestorum contraria non posse repeti.

Hus usque de iis locuti sumus, quorum voluntas esset libera et facto aliquo declarata.

Si vero voluntas eius qui gessit aut lege aut reapse non esset libera, valetne tamen negotiorum gestio? Lege dico, nempe si a minore, aut si a nupta, reapse si a furioso negotia gesta sunt. Fore quemquam vix credo, qui de furioso dubitet: caret hic voluntate: itaque sese obligare nequit.

Sed si a nupta negotia sunt gesta?

Dissentiunt viri docti; Pothier nuptam obligari quovis modo posse, sine consensu mariti negat: affirmat contra Toullier. Respiciamus ipsa legis verba. Art. 163 C. C.: *De vrouw kan zonder bijstand van haren man in de acte of zonder zijne schriftelijke toestemming niets geven, vervreemden, verpanden, verkrijgen, hetzij voor niet, hetzij onder eenen bezwarenden titel.* Cui adiungemus art^m^ 1366 C. C.: *Onbekwaam om overeenkomsten te treffen zijn: 3o. Getrouwde vrouwen*, IN DE GEVALLEN BIJ DE WET VOORZIEN. Voluntas igitur nuptarum non omnimodo et sine exceptione circumscribitur: regulam generalem statuit art. 163. At femina, quae aliena negotia gerit mihi dici non posse videtur aut dare, aut alienare, aut oppignerare, aut acquirere: neque enim dat *de suo* neque adipiscitur *sibi*. Propterea quoque mandatum recipere posse videtur sine consensu mariti. Sed honorarium sibi in mandato stipulari non poterit, licet art^s 1831 C. C. generalis esse

videatur: *sibi* enim acquireret. Si e. g. nupta gerens negotia Maevii pecuniam a Maevio debitam solverit ex mente legis mihi dici non posse videtur aut dedisse aut alienasse: non enim sibi fecit, sed alteri. Quod si tamen actionem negotiorum gestorum contrariam instituere vellet, consensu indigeret mariti, art. 165 C. C. Dominus negotiorum directam habet contra eam: at si consentire recusat maritus ut uxor in ius veniat, quomodo servabitur indemnis dominus negotiorum? Iudex auctoritatem interponet, art. 800 C. Meth. Proc. in C. C.

Disputanti autem de mariti consensu interponendo primario loco quaerendum est quae sit natura, quis finis huius consensus, cui bono mariti interposita auctoritas? Non enim ut quidquid inter coniuges ipsos efficiat, sed ut aliis cautioni sit, quibuscum nupta agit. At quaero, quomodo dominus negotiorum fortasse absens, fortasse rei prorsus ignarus, sibi cavebit? Num de domino negotiorum idem diceremus, quod de eo, qui contrahit cum nupta mariti consensu destituta, nempe sibi habere imputandum quod nihil actum sit? Longius pergo. Tunc demum, ut vidimus, negotiorum gestio exstat si voluntas facto declaratur. Iam vero si unico hoc facto nupta domini rem disperdit, nihil egerit, neque dominum indemnem servabit? Recuperabitne fortasse alia actione? Ex rei natura patet, aut negotiorum gestionem esse aut nihil, dominum actionem habiturum directam negotiorum gestorum aut nullam. Liberumne erit nuptae sua sponte sese rei alienae immiscere, atque sine ulla poena rem disperdere? Ni fallor absurdum foret.

Contrariam sententiam amplexus est cl. Opzoomer

(*Het Burg. Wetb.* I, p. 74): *Wat het waarnemen van eens anders zaken betreft, de negotiorum gestio, voor haar schijnt de autorisatie van den man ons onmisbaar. Immers, ofschoon het hier eene verbindtenis is, die zonder overeenkomst tot stand komt, zoo komt zij toch niet tot stand* ZONDER DEN WIL VAN DEN ZAAKWAARNEMER OM ZICH TE VERBINDEN, *en juist voor dien wil der vrouw, om zich te verbinden, heeft de wet de autorisatie ter aanvulling gevorderd.* Discrimen hoc loco exstat inter viri cl. disputationem et meam, quod ex supra dictis explicandum est. Secutus est enim Ictorum Francicorum opinionem, qui inter requisita negotiorum gestionis numerarunt voluntatem obligandi sibi dominum negotiorum, quod requisitis annumerandum propterea negavit, quia in definitione negotiorum gestorum a legislatore data nulla fiebat mentio. Quodsi vero negotiorum gestionem agendo tantum inchoari posse consideramus, neque initio requiri voluntatem obligandi sibi dominum negotiorum, per se patet viri cl. ratiocinationem eo ipso refutari.

Num nuptae aequiparandus videtur minor? (cf. Dalloz, l. l., n°. 7; Toullier, l. l., p. 31, n°. 40).

Obligationes quominus contrahat art. 1366, n°. 1 C. C. absolute vetat. Neque pares esse praesumtus iudicii defectus, quo nititur tutela, ut videre est ex definitione in l. 1 D. de tutela obvia, luculenter ostendit. Quid vero iuris si contra facultatem minor alicuius negotia gesserit? Distinguo: si recte administraverit dominus negotiorum actionem habebit in id, quod factus erit locupletior,

quia neminem locupletari oportet cum alterius detrimento, l. 14 D. de cond. ind. Si male, dominus actionem habebit non directam negotiorum gestorum, sed, ut mihi videtur, ex artt°. 1401 seqq. C. C.

De qua sententia quoniam me legere huc usque non memini paullo amplius disputabo. Negotiorum gestio est factum licitum, dummodo suscipiatur ab illo, qui gerendi facultate fruitur: sin minus, omne factum licitum ratione personae illicitum fieri potest. Art. 1401, in quo mentio fit facti illiciti, non tantum facta per se illicita spectat, sed ea quoque, quae quamvis initio licita, alicuius negligentia vel imprudentia, in illicita commutantur. Jam vero si quis quid fecerit iuris praeceptis contrarium, illiciti quid fecisse iure dici posse videtur. Duranton, l. l., § 699, p. 500. Agere quid libet minori cum altero interdictum est, quod si nihilominus fecerit inscientibus omnibus, ex facto illo illicito tenebitur, quo casu imprimis praeceptum arti. 1403 C. C. adhibendum erit. Neque vereor ne quis mihi obiiciat istam ratiocinationem latius posse extendi, ita ut, si minor egit cum altero, qui ex contractu forte passus fuerit damnum, idem codicis civilis articulus usu veniret. Nam obstaret notissima illa iuris regula, quam in l. 19 D. de R. I. docemur: neminem debere esse ignarum conditionis eius quocum agit. Tenebitur ergo minor facto illicito et conveniri debebunt parentes, dummodo cum iis habitet: caeteroquin praeceptores, ludi magistri vel ii, qui tunc temporis auctoritatem in eum habent. Tutor an conveniri posset, licet nihil cautum sit ex analogia asseverare non dubito. Duranton, l. l., § 719, p. 506. De casu, quo parentes caeterique impensa ista postea a maiori aut retinere aut

recuperare possint, hic agere nihil attinet. DURANTON, l. l., § 717, p. 505.

§ 4.

DE GESTIONE SINE MANDATO.

Quid si gesserit sibi mandatum putans? Si ultra mandatum? l. 32 D. de neg. gest. Quid si contra domini voluntatem? Chambonii auctoritas. An possit dici commodum domini spectasse? De acceptatione litterae cambialis in honorem trassantis, utrum mandatum an negotiorum gestio?

In requisitis est, ut nullum mandatum intercedat, quod si esset interpositum, natura atque indoles contractus commutarentur. Quo facto usu veniunt praecepta arttm 1829 seqq. C. C.

Proponi hoc loco solent variae quaestiones, quas ex ordine tractabimus: 1°. si quis gesserit errore, putans sibi mandatum esse; 2°. si ultra mandatum gesserit; 3°. si contra voluntatem domini initio gestori notam gesserit.

1°. Si errore quis gesserit, putans sibi mandatum esse negotiorum gestionem revera locum habere quis dubitat? Mandatum enim sponte etiam recipitur, ita ut libera gerundi voluntas hoc etiam casu existat. Concurrunt ergo omnia negotiorum gestionis requisita, neque, ut mihi videtur, de his controversia esse potest.

2°. At plane aliud quid est, si ultra mandatum quid

geritur. Pothier revera negotiorum gestionem intercedere putat: *Lorsque mon mandataire*, inquit, *a excédé les bornes de la procuration que je lui ai donnée, en faisant quelque chose outre ce qui y était porté étant faite sans mon ordre forme entre nous le quasi contrat* negotiorum gestorum.

Exquirere hic tantummodo attinet quid valeat iure nostro et dicendum ubi verba legis quam maxime sunt perspicua, nulla interpretatione opus esse. Quid statuendum sit docet art°. 1844 al. 2 C. C.: *Hij* (de lastgever) *is niet gehouden tot hetgeen bovendien mogt geschied zijn, dan voor zoo verre hij zulks uitdrukkelijk of stilzwijgend bekrachtigd heeft.* Ratihabitio enim mandato comparatur. l. 12 D. de sol. et lib. § 4. Et nostram constitutionem cum legum Romanorum indole congruere contendo. Quod vero Pothier l. l. exemplum affert ex l. 32 D. de neg. gest. immerito huc trahitur. «Fideiussor imperitia lapsus *alterius quoque contractus, qui personam eius non contingebat*, pignora vel hypothecas suscepit et utramque pecuniam creditori solvit.» De duobus debitis sermo est, quorum solvit utrumque. Gessit ergo duo negotia, dum de uno tantum mandatum receperat. Rei naturae conveniens est ut debitum alterum, de quo nihil mandatum erat, solutum habeatur pro negotiorum gestione. At si unum ipsi tantum mandatum est negotium, inque eo mandatum egreditur, iure Romano dubitabatur quidem an quidlibet posset repetere. Proculeanorum tamen vicit mitior sententia. l. 3 § 2 et l. 4 D. mand. Quod idem iure nostro dicendum est: disertis enim verbis art. 1844 C. C. totam quaestionem solvi oportet.

3°. Si quis contra expressam sibique cognitam voluntatem res alicuius nihilominus administraverit, estne tamen negotiorum gestio? Omnes, quantum scio, scriptores qui de negotiis gestis egerunt in eo consentiunt negotiorum gestionem nullam esse: «Sind Geschäfte gegen das ausdrückliche Verbot des Herrn besorgt worden, so ist die contraria actio hinsichtlich derselben niemals zulässig. Unter den Römischen Juristen herrschte hierüber Streit. Viele derselben, wie z. B. SALVIUS JULIANUS, verweigerten wegen der gemachten Auslagen in diesem Fall die Klage, andere liessen sie utiliter zu [1]), bis JUSTINIAN dieser Meinungsverschiedenheit durch die Const. ult. Cod. h. t. ein Ende machte, indem er dem Gestor die Klagberechtigung vollständig abspricht. Ohne Zweifel ist diese Bestimmung JUSTINIANS ganz im Einklang mit den Motiven, welchen im Allgemeinen die Negotiorum Gestio ihre rechtliche Existenz verdankt. Die Grundung einer gegenseitigen Obligation ex negotio gesto sollte die Besorgung der Angelegenheiten Abwesender vermitteln, um diese vor Nachtheilen zu bewahren. Mit dieser augenscheinlichen Beförderung des Interesses der Herrn konnte es nicht übereinstimmen, wenn diese gegen ihren ausgesprochenen Willen verbindlich gemacht werden sollten. Es gilt also hier die Grundsatz: culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti [2]), und gleichviel ob die Verwaltung gut oder schlecht, utiliter oder inutiliter geführt worden ist, jedesmal liegt in dem Verbote des Herrn die Weigerung auf eine Verbindlichkeit ex negotio gesto einzugehen.» CHAMBON: die neg. gest. p. 79.

1) L. 8 § 3 D. h. t. l. 40 D. mand.
2) L. 36 D. de R. I.

Sic Toullier l. l. § 55. Zachariae l. l. § 441 n°. 2
Pothier tamen putat impensa facta utilia ab eo, qui negotia gessit, posse repeti. At quod quis ex culpa su damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. l. 20: D. de R. I. De iure nostro vide doct. Diephuis VI. p. 340
Commodum spectasse domini omnino dici nequit qu contra expressam eius voluntatem negotia eius gerit: quod tamen requiritur ut ab initio sit negotiorum gestio. Sic iudicatum a Curia Suprema 22 m. Aug. 1848:

«O. dienaangaande, dat bij het beklaagde arrest *in facto* is uitgemaakt: dat de req. van de aan hem als schipper, tegen betaling van vracht- en liggelden, door den eigenaar toevertrouwde lading appelen niet alleen buiten voorkennis, medeweten of toestemming, maar zelfs tegen den bepaalden last diens eigenaars, een groot gedeelte van die appelen ter kwader trouw heeft gelost, verkocht en afgeleverd, en zich zelven de daarvan ontvangene gelden, ten nadeele van meergemelden eigenaar, en ten zijnen eigen voordeele, arglistig heeft toegeëigend.»

«O., dat er na deze feitelijke beslissing geene sprake zijn kan van de negotiorum gestio bij art. 1390 en volgg. B. W. omschreven, daar toch deze wetsbepalingen stellig uitgaan van het beginsel, *dat hij, die vrijwillig, zonder daartoe last te hebben bekomen, eens anders zaak met of zonder deszelfs weten waarneemt, hebbe verkeerd in de goede trouw, en louter in het belang van dien andere hebbe gehandeld.*»

Hic postremo quaestio oritur ex iure mercatorio. Inter trassantem litteram cambialem et trassatum oritur mandatum ex art°. 140 C. M. Jam vero si quis, inscio trassante secundum art^m 121 C. M. litteram cambialem

acceptaverit in honorem trassantis acceptationis ignari, eritne tamen mandatum, quia constitutio arti. 140 generalis est? Credo negandum potiusque negotiorum gestionem esse habendum. Nam trassans revera aliquem designat, quem iubet dicta die solvere aut quia trassatus aliquid trassanti debet, aut quia trassans curat ipsa solutionis die pecuniam apud trassatum adesse. At neutrum in casu locum habet. Qui in honorem trassantis acceptat, propterea facit, ut eum obligationibus arti. 177 C. M. liberet. Commodum ergo domini negotiorum egit, fecit libera sua voluntate, fecit sine mandato, gessit rem alienam; adsunt ergo omnia negotiorum gestionis requisita. At ne quis mihi obiiciat teneri acceptantem in honorem statim certiorem facere trassantem acceptationis: numquam enim eo facto negotiorum gestio commutaretur in mandatum. Et ipsa Codicis Mercatorii verba negotiorum gestionem spectare videntur, dum eiusmodi acceptationem seu mandato trassantis seu absque mandato admittant. Quamvis ergo in universum statuat arts. 140: *Tusschen den trekker en den acceptant ontstaat uit den wisselbrief eene handeling van lastgeving*, tamen dicendus tantummodo spectari is, qui in ipsa littera cambiali designatus (trassatus) acceptavit, vel qui *cum* mandato in honorem mandantis (trassantis) acceptavit. Fortasse et hoc subintelligit arts. 147 C. M. statuens: *De bepalingen* OMTRENT DE GEHOUDENHEID *van den acceptant zijn ook toepasselijk op dengenen, die den wissel ter eere heeft geaccepteerd.*

§ 5.

DE NEGOTIO ALIENO.

Quid sit negotium? Num rei turpis gestio? Num si gestio in obligatione naturali? Lex 28 *Nov.* 1818. *Si quis suum et alienum negotium gesserit, an gestio sit? Si dubium utrum gestor suum an domini commodum spectaverit? Art.* 297 *C. M.*

Lex, ubi in art° 1390 C. C. sermo est de *negoti* alieno, de uno pluribusve negotiis est intelligenda. In hoc consentiunt omnes scriptores argumento l. 3 § 2 D. de neg. gest. Synonyma esse *zaak* et *belangen* docent doct. DIEPHUIS, l. l., p. 336 et cl. VAN ASSEN, *Leiddraad*, § 412.

Quemadmodum mandatum receptum contra publica instituta vel bonos mores irritum esset, sic quoque rei turpis nulla erit negotiorum gestio v. g. Si amicus scirem amicum solere merces emere clam in civitatem introductas, vectigalibus non solutis, etsi absente eo eiusmodi negotium gesserim, negotium gessisse vere dici non potero. Si quemadmodum in l. 12 § 11, D. mand. exemplum ab Ulpiano traditur pro amico luxurioso absente meretrici pecuniam credidero sciens amicum illi mulierculae credere solere tamen negotium gessisse non sum existimandus. Art. 14 W. Algem. Bep.

Quid vero sit *negotium* statuere perquam est difficile Sic tamen mihi describi posse videtur: omne id, quod ni fieret, damnum dominus negotiorum pateretur. Si enim verum est, quod ab omnibus iuris doctoribus

statuitur, synonyma esse *zaak* et *belangen*, negotium non potest intelligi nisi geri illud domini revera intersit. Quod propterea urgeo, quod orta est quaestio num in naturali obligatione negotiorum gestio obtinere posset. De quibus obligationibus iure nostro multa variaque sunt disputata, sed quum nostrum esse neutiquam putemus aliorum sententias compilare, ad doct. DIEPHUIS lectorem dimittimus, cuius verba VI, p. 19, nostra facimus, obligationem naturalem describentis ut: *de betrekking, die tusschen hem, die zedelijk eenige verpligting heeft of meent te hebben jegens eenen ander en dezen bestaat.*

Necessitas vero parendi obligationi morali pendet a persona obligati, ab eius voluntate subiectiva, quae dicitur. Nulla est necessitas obiectiva.

At voluntas ista subiectiva, necessitas illa a gestore non potest diiudicari: itaque ignorat an quod gesserit revera utile sit.

Nulla igitur in obligatione morali erit negotiorum gestio.

Omnis denique negotiorum gestio nititur praesumta domini voluntate: nititur praesumtione dominum idem facturum fuisse nisi casu quodam fuisset impeditus: voluntas satisfaciendi obligationi morali non poterit probari: cadit ergo ista praesumtio. Adversatur tamen nostrae opinioni Curiae Supremae sententia, iudicantis a communibus (de gemeenten) vel a collegiis, quibus cura est ptochotrophiorum, posse repeti id, quod pauperi praestatum est, qui alio loco domicilium habet: posse repeti actione negotiorum gestorum contraria.

At ut repetitio ista locum habeat probandum erit consilium exstitisse ab initio gerundi negotii alieni. Quum

vero officium pietatis, necessitas moralis sit prospicere pauperibus probari non poterit a gestore negotium non ex sua persona esse gestum.

Sic etiam Chambon, l. l., p. 76: *Ist durch die Geschäftsführung nur eine Pietätspflicht erfüllt worden.... so ist er (der Gestor) Ersatz und Schadloshaltung zu fordern nicht berechtigt.*

Si quis enim pauperi subvenit eo consilio ut alterius nomine ei succurrat a quo postea repetat, per se patet nullam fore repetitionem, quoniam ignorat an alter voluntatem habuisset pauperi subveniendi. De persona iuridica (corpore morali) idem statuendum iudico.

At lex aliquando repetitionem admittit art. 13, legis 28 Novembris 1818 (*Staatsblad* n°. 40):

«Indien de billijkheid schijnt te vorderen, dat men in eene gemeente eenen behoeftigen uit den *algemeenen onderstand* te hulp kome, zonder dat men het eens zij, aan welke gemeente, of aan welke instelling die behoeftige zich kan aanmelden, zal, in geval van noodzakelijkheid, de gemeente waar hij zich bevindt, billijke hulp verleenen, *behoudens haar regt van verhaal tot restitutie op dengenen, op wien zulks haar toekomt.*»

Nonne quis iure contenderet *hoc unico casu* repetitionem locum habiturum? expressis legis verbis omnes alios casus excludi? Ubi obligatio moralis lege definitur non potest extendi. Aut quis putat, quoniam lex praecipit, ut liberi parentibus aliisque adscendentibus pauperibus subveniant, negotiorum gestionem intercedere si quis e. g. alicuius amitae subvenerit? Et tamen est pietatis officium.

Debet esse negotium alienum, ita ut recte administrari nostra nihil intersit. Hinc vero oritur quaestio, si quis

suum et alienum negotium simul gesserit, an negotiorum gestio obtineat?

Nec fere dubium quin quantum alterius commodo prospexerit, huius negotia gessisse dici posset. Pari modo si Gaius et Titius rem habent communem et quis Gaii mandato rem illam communem gerit, negotia Titii gessisse pro parte existimandus est.

At si dubium est utrum quis negotiis alicuius gerendis suum an domini negotiorum commodum spectaverit, eritne negotiorum gestio? Exempli gratia, si creditor hypothecarius ex art°. 297 C. M. stipulatus esset ut, si in futurum praedium hypothecatum assecuraretur pecunia assecurationis debitum et usurae solverentur, si damni quid praedium illud pateretur, et ipse creditor propter viciniam alicuius fabricae damnum veritus, inscio debitore ex art°. 264 C. M. praedium assecuraverit nomine debitoris, eritne negotiorum gestio?

Neque affirmando ad quaestionem respondere dubito, simul ac commodum domini negotiorum cum gerentis commodo coniunctum est. Assecuratio prodest domino quoniam, si incendio forte praedium deleretur, pecunia assecurationis gerenti quidem, utpote creditori hypothecario ex pacto solveretur, sed eo facto liberabitur dominus negotiorum, debitor. Nam ius hypothecae non perimitur oppigneratae rei interitu sed constitutione art^{i}. 1177 C. C. omnes res mobiles et immobiles debitoris, tam praesentes quam futurae, obligationibus personalibus eius tenentur. Ergo ex assecuratione commodum dominus percepit, quam ob rem negotiorum gestionem valere omnino dicendum est.



CAPUT SECUNDUM.



§ 6.

DE OFFICIIS NEGOTIORUM GESTORIS.

An ipsi iura mandatarii quoque competant? Mandatum tacitum. An recte abrogatum vel in negotiorum gestione comprehensum? Singula gestoris officia.

Ubi sunt officia ibi etiam iura adsint necesse est. Nota haec est iuris regula, quae oneri semper emolumentum opponit. Separata vix cogitari possunt.

Nemo enim suum ipsius damnum spectare existimatur rerumque suarum tantum curae habere, ut nullam ex iis sua sponte periclitetur; nemo mentis compos negotia aggredi facile putetur, quin iam statim ab initio spectet quomodo damnum, quod ex inchoato negotio possit oriri, quantum fieri possit, evitet; vix credendum est, quemquam futurum qui alteri sese ita cupiat obligatum, ut unus omnes obligationes sustineat, neque invicem alterum sibi obligatum velit. Quod quum naturae humanae consentaneum sit, ius, hominum actiones moderans, tamquam perpetuum et stabile principium posuit. Negari tamen non potest, quemque cogitationum actionumque dominum, isti iuris principio facto posse dero-

gare. Sunt quaedam iura, non propter singulorum tantum commodum statuta, quam communis utilitatis gratia introducta, quibus renuntiare legibus est vetitum. Cf. exempli gratia artt. 384, 1089 C. C. caet. Sed universe dicendum, liberum arbitrium penes singulos esse an legis beneficio velint frui, cui si sponte renuntiant, quidquid accipiant damni sibi imputent. Si quis mihi negotium aliquod administrandum mandat, aut mandatum recusare possum, aut scio accipiens alterum mihi ex mandato esse obligatum. Sin vero libera mea voluntate, nulla necessitate cogente, alterius negotium gerendum suscipio, officia mihi voluntaria impono, iura tamen petere nequeo eadem, quibus usus fuissem, si alter mihi ex mandato fuisset obligatus. Quae ex ipsa rei natura oriuntur iura iis sine dubio gaudeo, non tamen iis quae lege tribuuntur, utpote certae alicui actioni adhaerentia: revera enim ignorabam an alter voluerit me isto iure uti.

Quapropter quaerenti an iisdem iuribus utatur negotiorum gestor ac mandatarius, quoniam eadem ipsi imponuntur officia respondendum omnino non uti. Vidimus in § 2, ubi de requisitis negotiorum gestionis egimus, requiri a Durantonio, duce Pothierio, gestionem cum consilio non modo prospiciendi negotiis alienis sed etiam obligandi sibi dominum negotiorum: vidimus pariter iure nostro disertis verbis describi negotiorum gestionem, quibus prorsus quoad ius nostrum refutatur summorum Ictorum sententia. At si recte animadvertimus naturam negotiorum gestionis universe magis quoque Toullierii amplectimur opinionem gravis erroris Pothierium arguentis, qui l. l. § 185 indicat necesse esse animum fuisse

gerenti alicuius res administrare factaque impensa repetere, ut contractus negotiorum gestorum existat atqu actio inde oriatur. Non enim ex isto animo gerenti nascitur actio, sed ex voluntate gerendo declarata, u supra vidimus, nec magis ex solius legis constitutionibus ut minus recte in codice nostro receptum est. Cf. TOULLIERI l. l. § 23 et 24.

Quod iure Romano valebat mandatum tacitum iure nostro abrogatum est, aut si malis, in negotiorum gestione comprehensum. TOULLIERIO si credere vellemus legislator Francicus, quem noster est imitatus sibi non constitisset. Art[s]. 1830 C. C. statuit: *De aanneming van een last kan ook stilzwijgende geschieden.* Mandatum ergo recipi, non tamen dari tacite potest. Cf. art. 1985 C. Nap. At quoniam legislator noster in contractu locationis conductionis statuit ut, post finitam scriptis initam locationem si conductor manet in possessione nec locator adversatur, novus locationis conductionis oriatur contractus (art. 1609 C. C. 1738 C. Nap.), quoniam ergo tacitam locationem admittit, num propterea sibi non constitit abrogato tacito mandato? Ita saltem TOULLIERIO videtur l. l., § 26. Utrumque tamen toto coelo a se distat. Namque dum is, qui tacite locavit, eum, quicum contraxit ante, novit et praesumto eius consensu nova ista nititur locatio, persona mandatarii in tacito mandato ignota esse potest et dubiae fidei. Tacita locatio igitur huc trahi ad exemplum nequit, neque inde video cur legislatori quod sibi non constiterit exprobraremus.

Iam videamus de officiis negotiorum gestoris.

1°. Tacite sese obligat gestionem continuare et conficere donec negotiorum dominus rebus ipse suis possit prospicere art. 1390 C. C.

2°. Consulat necesse est omnibus rebus, quae ad hoc negotium pertinent. ibid. al. 2.

3°. Subiectus est officiis omnibus, quibus si mandatum recepisset, fungi debuisset. Cf. art. 1837 C. C. seqq.

4°. Debet gestionem continuare, quamvis negotiorum dominus mortuus fuerit ante negotium peractum, donec heres ipse rem suscipere possit. art. 1391 C. C.

5°. Administrare debet tamquam bonus paterfamilias. art. 1392, al. 1, C. C.

§ 7.

DE CONTINUANDA ET CONFICIENDA GESTIONE.

An et quando liceat negotiorum gestori gestionem relinquere?

Quaestio oritur, num negotiorum gestor ad instar mandatarii renuntiare possit domino negotiorum se rem diutius gerere nolle, si gerere pergens ipse damnum aliquod pateretur.

Est, ni fallor, distinguendum. Quodsi sciente domino gesserit nuntiare illi debet se rem diutius gerentem damnum passurum esse; dominus si ipse rem gerere

poterit gestorem non cogere potest continuare admii trationem.

Sin minus neque hoc casu liberum est gestori r derelinquere, quoniam lex non distinguit et unive statuit tacite gestorem esse obligatum continuare conficere gestionem.

Quodsi ignorante domino gesserit de gestione dominu debet facere certiorem, quo casu ab eo petere potest, ipse rei suae administrationem recipiat, quod si vali rationibus coactus facere prohibetur, gestor identide rem gerere pergat necesse est. •Cf. cl. VAN ASSE *Leiddraad*, § 413.

Animadversum est a Ictis Francicis (DALLOZ, I. l § 5, et DELVINCOURT, t. III, p. 467, notes) tunc demu gestori esse interdictum rem derelinquere si periculu et damnum inde domino nascerentur. Neque amp disputatione mihi opus esse videtur ad demonstranda sententiae veritatem. Si enim domini nihil interest re geri nec ne, aut rem in futurum geri nec ne, gesto eius commodis prospicere dici nequit, quod tame diserte requiritur ut negotiorum gestio existat. Itaque nihil incommodi ex neglecta re in dominum redundat liberum est gestori finem facere gestioni.

Per se patet, si negotiorum gestor desierit re gerere indeque damnum passus fuerit dominus, proba tionem incumbere domino rem intempestive a gestor esse relictam, seque tunc temporis non potuisse reciper administrationem.

§ 8.

DE CURA OMNIUM RERUM, QUAE AD NEGOTIUM PERTINENT.

Intra quos fines officia gestoris limitata? Discrimen inter gestorem et tutorem. Gestor omnium rerum.

Vere dixit doct. DIEPHUIS difficile esse copiose de isto officio disputare, quoniam plerumque iudicis erit iudicare num revera quid omissum fuerit, quo gestio tantum pro parte locum habuerit. Animadvertamus tamen negotiorum gestorem tantum perficere debere negotium inchoatum, neque cogi posse pluribus rebus sese immiscere quam ab initio ipse voluerit. Hoc tantum curet ut suscepta res omni modo bene recteque geratur, neque ex eius negligentia dominus damnum recipiat.

Negotiorum gestio enim, ut in iure Romano, sic quoque in nostro amicitiae gratia suscepta habetur, L. 20 C. de neg. gest., unde sequitur liberum esse gestori gestionem intra fines revocare, quos ipse sibi posuerit, qua in re perspicuum fit discrimen inter gestorem et tutorem, qui munere fungitur. Libertas vero gestoris eo circumscribitur quod necesse est ut in domini commodum geratur negotium, quo relicto si dominus damni quid pateretur nocuisse magis quam profuisse ipsi gestionem ex rei natura facile apparet. Itaque in gratiam et utilitatem domini libera gestoris voluntas est limitata cf. CHAMBON, l. l., p. 82.

At quaerimus si omnium domini rerum sese gestorem praestiterit?

Quam voluntatem si facto quodam declaraverit nullus

dubito quin totius gestionis onus sustineat. Non tame sufficit, ut supra iam diximus, si tantum geren voluntatem significaverit, nullo facto accedente. Sente tia Toullierii mihi videtur nimis generalis, quum statu negotiorum gestione teneri eum, qui voluntatem decla raverit gerendi omnia alicuius negotia, ideoque alio amicos prohibuerit domini rebus sese immiscere, quo revera factum esset nisi gestoris verbis fidem habuissent Si cogitamus quod ante dictum est de fundamento quo omnis negotiorum gestio nititur sufficere mih videtur dicere factum requiri quo ista omnia gerend negotia voluntas pateat, quod si deëst negotiorum gesti revera non existit. Cf. supra § 3.

§ 9.

DE NEGOTIORUM GESTORIS OFFICIIS AD EXEMPLUM MANDATARII.

Art. 1839 *C. C. Art.* 1840 *C. C. Substitutio. Heredes. Art.* 1856 *C. C. Art.* 1840, *al.* 3, *iuncto art°.* 1390 *C. C. Art.* 79 *C. M.*

Subiectus est omnibus officiis, quibus mandatarius. De his copiose disputare neque requiritur neque nostrum esse putamus: pertinent haec ad dissertationem de mandato, non vero de negotiis gestis. Quare breviter haecce officia commemorabimus.

Constitutiones art. 1837 C. C. hic usu non veniunt; quid in negotiorum gestione statuendum sit docent arti. 1390, al. 1, 1391 et 1392, al. 2.

Nec magis ad negotiorum gestionem pertinet quod

art°. 1838 statutum est: de culpae praestatione in negotiorum gestione tractat art^s. 1392, al. 1, qua de re infra in § 11 videbimus. Art^s. 1839 haec docet: *De lasthebber is verpligt rekenschap te geven van hetgeen hij verrigt heeft, en aan den lastgever verantwoording te doen van al hetgeen hij uit krachte van zijne volmagt ontvangen heeft, al ware het ook, dat het ontvangene niet aan den lastgever mogt zijn verschuldigd geweest.*

Negotiorum gestor igitur identidem rationes reddere debet gestionis et eorum quae accepit etiam si indebitum domino recepisset.

Animadvertamus constitutiones articuli nostri convenire cum principiis iuris Romani: ex mandato apud eum, qui mandatum recepit, nihil remanere oportet, sicuti nec damnum pati debet, si exigere foeneratam pecuniam non potuit l. 20 pr. D. mand. Procurator..... etsi per errorem aut iniuriam iudicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debet. l. 46, § 4, D. de proc. et. defens.

Vix operae pretium erit admonere, eum, qui indebitum solverit contra mandantem vel negotiorum dominum habere condictionem indebiti.

Art. 1840. Mandatarius cavet de persona, quam sibi substituerit.

In mandato ex ipsa lege distinguendum est: aut de substitutione nihil convenit, aut convenit adiecto certae personae nomine vel non adiecto. In negotiorum gestione semper negotiorum gestor rationes reddere debet gestionis eius, quem sibi substituerit.

Per se enim patet et perspicuum fit ex contractus

negotiorum gestorum natura. Si quis enim sua sponte negotium alienum suscipiens hoc negotium relinquere posset substituto sibi aliquo prorsus non idoneo, et ratio instituti evanesceret et nulla legis indolis haberetur ratio. At fortasse quis, nec sine fundamento, quaereret, an liceat negotiorum gestori sibi alterum substituere, quoniam art. 1390, al. 3, statuit quidem negotiorum gestorem teneri omnibus iis officiis, quibus illi esset fungendum si expressum mandatum recepisset; non tamen pertinere ad officia mandatarii aliquem sibi substituere, sed art°. 1840 tantum significari quid iuris esset si sibi substituisset.

Quoniam ergo non pertinet ad *officia* mandatarii et quoniam de substitutione in negotiorum gestione sermo nullus est, quin imo de officiis *ipsius* gestoris agunt articuli nostri, contendi posset, nullo modo substitutionem locum habere posse.

Quam sententiam si amplecti vellemus negotiorum gestori, gratis onus suscipienti minus iuris tribueremus, quam mandatario, qui praestata opera remuneratur quod universe recte statuitur, ut supra p. 23 diximus. Contra frustra, ut videtur, allegaretur gestorem negotium sua sponte suscipere, cui si imparem sese sentiat, tamen non potest derelinquere. At si urgeremus etiam dicendum foret gestorem gravi morbo implicitum cogi ipsum negotium conficere, neque alium sibi posse substituere, quam sententiam satis, ut mihi videtur, absurdam ut quis defendere velit, vehementer timeo. Substituat modo aptum gerendo negotio virum; quod si facere neglexerit ipse de damno a substituto illato poterit conveniri.

Qua opportunitate de substitutione agimus in negotiorum gestione deque officiis, quibus ad instar mandatarii tenetur, oboritur quaestio:

Si negotiorum gestor negotio nondum confecto moritur, quid heredibus gestoris faciendum sit?

Res mihi ex analogia videtur repetenda: et dicendum, quemadmodum negotiorum gestoris officia aequiparantur mandatarii, sic heredum gestoris officia comparanda esse heredum mandatarii officiis. Iam vero art[s]. 1856 C. C. statuit: *In geval de lasthebber overlijdt, moeten deszelfs erfgenamen daarvan aan den lastgever kennis geven, indien hun de lastgeving bekend is, en inmiddels zorg dragen voor hetgeen de omstandigheden in het belang van den lastgever mogten vereischen, op straffe van vergoeding van kosten, schaden en interessen, indien daartoe gronden zijn.*

Pari modo si negotiorum gestor obit diem ante confectum negotium heredes eius, dummodo gestionem non ignorant, dominum negotiorum certiorem facere debent gestoris obitus, et continuare gestionem donec ipse dominus rebus suis possit prospicere, quod mihi videtur sequi ex iuris regula, succedere heredes in omnia iura non tantum, sed quoque in omnia officia defuncti. Similiter ex art[o]. 1840, al. 3, iuncto art[o]. 1390 C. C. sequitur ipsum substitutum a domino negotiorum posse conveniri. Quaeri posset an valeat constitutio art[i]. 1836, statuentis mandantem directe posse convenire eum, quicum mandatarius, ut talis egit et postulare posse ut pacto satisfiat. Sed quoniam negotiorum gestor plerumque aequiparatur mandatario et ab initio non suo,

sed domini nomine cum altero egit, affirmando responder non dubito. Quemadmodum enim mandatarius alios no sibi sed mandanti obligat, quoniam rem mandanti gerit, sic negotiorum gestor domini negotium administrans alios non sibi devincit sed domino negotiorum Nullam rationem videmus, cur discrimen inter utrumque existere putaremus, neque idem statueremus d negotiorum gestore quod de mandatario. Sequitur e ipsius rei natura, si commissionarius solitus hanc illamv rem mandanti gerere, putans mandantis interesse simile negotium tamquam negotiorum gestor gereret, locum esse art°. 79 C. M. id est, ipsum dominum negotiorum posse alterum convenire quicum commissionarius egit. Sed animadvertendum simul commissionarium numquam posse invocare art^{m}. 78 C. M. quoniam non qua talis, sed qua negotiorum gestor egit. Si enim tamquam commissionarius egisset praemium aut provisionem (barbare dictam) petere posset, art. 76 C. M, sed obstat art^{s}. 1394 C. C.

§ 10.

DE CONTINUATIONE GESTIONIS.

Si plures heredes domini existant. Si alii adeant, alii repudient. Si heres iure deliberandi utatur.

Debet gestionem continuare, quamvis negotiorum dominus mortuus fuerit ante negotium peractum, ad tempus usque (tot tijd en wijle dat) quo heres ipse rem suscipere possit, art^{s}. 1391 C. C.

Quaeritur:

a. Quid iuris sit si plures heredes existant?

b. Quid iuris si nonnulli hereditatem adeant, alii repudient?

c. Quid iuris si heres jure uti velit deliberandi?

a. Quid iuris si plures heredes existant?

Quod si statim ab initio actio familiae erciscundae instituta est, nullam haec quaestio parit difficultatem. Art°. enim 1129 C. C. lucem videtur afferre, ex quo dicendum est eum heredem teneri, qui rem ex hereditate acquisiverit a negotiorum gestore administratam.

Sed si, actione familiae erciscundae non instituta in indivisa hereditate manserunt heredes, quemnam ex heredibus debet convenire ut sese a rerum administratione liberet?

Nullum hic, ni fallor, existit discrimen utrum omnia defuncti negotia, an unum ex iis administraverit.

Et quidem puto omnes conveniri debere heredes ut una negotium seu negotia administranda recipiant.

Domini negotiorum enim heredes negotiorum gestori in solidum non sunt obligati. Nulla autem obligatio praesumitur esse in solidum, nisi expressis verbis sit statutum, art°. 1318 C. C. Obligatio heredum domini negotiorum non est individua, quoniam non consistit in facto, quod dividi nequit, art°. 1332 C. C. Omnes enim administrare et gerere una poterunt. Nullam igitur rationem video, cur unus ex heredibus adeundus foret. Omnes potius teneri videntur rei rerumve gestionem suscipere adeoque gestorem liberare. Similiter respondendum est ad

b. Quid iuris si nonnulli hereditatem adeant, alii repudient?

Qui enim heredes hereditatem repudiavere nųmqua heredes fuere: itaque defuncti negotia nullo modo ɛ istos pertinent, art. 1104 C. C. Adita vero a ceteris her ditate omnes simul erunt conveniendi, ut supra vidimu *c.* Quid iuris si heres iure uti velit deliberandi ?

Negotiorum gestor heredem cogere non poterit adm nistrationem suscipere. Legis enim beneficium geren amitteret et ista pro herede gestione hereditatem adiis foret existimandus, art. 1094 C. C. quod ipsis legis verb satis mihi videtur constare. Scriptum est enim: ***tot tij en wijle de erfgenaam dit beheer op zich kan nemen***

Igitur si quidem heres existeret non teneretur ***stati*** ab adita hereditate gestionem suscipere, sed gestor adm nistrationem deberet continuare donec opportunum tem pus venerit, quo heres ipse gerere poterit, nullo damn rei sive negotio suscepto illato. Sed qui iure deliberand utitur non est heres, et art. 1072 C. C. expresse sanxi heredem, qui iure deliberandi per quatuor menses utitur intra hoc tempus cogi non posse, pro herede gerere «gedurende den voorschreven termijn, kan de erfgenaam die zich beraadt, ***niet worden genoodzaakt, de hoedanig heid van erfgenaam aan te nemen.***» Ergo heres null est, nec cuiquam necesse esse potest dici administration liberare negotiorum gestorem.

Nullus tamen dubito, quin, si fieri omnino n possit, ut negotiorum gestor gerere pergat, heres pos administrare per tempus deliberationis, dummodo g rendi veniam a iudice impetret, si modo probet rem e eiusmodi ut administratio differri nequeat. Art. 10 al. 1 C. C.

§ 11.

DE CULPAE PRAESTATIONE.

Eadem iure nostro ac iure Romano. Culpae praestatio a Chambonio descripta.

Administrare debet tamquam bonus paterfamilias art°. 1392, al. 1.

Culpae praestatio iure nostro iisdem fundamentis in negotiorum gestione nititur, quibus iure Romano. Principium Romanum legislator noster secutus est. Mirum ideo videbitur nemini, novi nihil de culpae praestatione a me esse allatum, dummodo cum praeclaro Chambonii opere: *de negotiis gestis iure Romano* notitiam aliquam et familiaritatem contraxerit. Licet autem minime existimem meum esse alienas sententias compilare, aut vetera nova fortasse induta forma repetere tamen multa viderentur deficere, si quis, de negotiis gestis agens, culpae praestationem alto silentio praeteriisset. Quare si in alienam sententiam pedibus ivero, non mihi, sed ipsi speciminis mei naturae et argumento videtur imputandum. Moneam necesse est, breviter in sequentibus esse repetita, quae a Chambonio scriptis sunt prodita in opere laudato inde a pag. 104 usque ad 110.

Quae si quis copiosius tractata legere cupiat adeat ipsum scriptorem: equidem nihil aliud huc inseram, nisi quae ex Chambonii ratiocinatione luculenter prodierunt.

Negotiorum gestor praestat *omnem culpam*. Haec est regula generalis.

Ipse enim libera sua voluntate, sua sponte, adminis trationem suscepit; dominus negotiorum inscius, consens non interposito, recepit procuratorem.

Contra allegari posset, nullum a gestore commodum ex gestione percipi, nec quovis modo ipsi utilem esse administrationem. At multo magis spectandus est finis quo instituta est negotiorum gestio; tenendum est praecipue in domini negotiorum utilitatem tantum esse introductam.

Variae tamen regulae generalis admittendae sunt exceptiones. Nam.

1°. *dolum* sive *latam culpam* tantum praestat si rem gesserit, quae ceteroquin interiisset L. 3, § 9, D. de neg. gest. Huc pertinent quae a legislatore nostro sancita sunt in art°. 1392, al. 2: «*niettemin is de regter bevoegd om de vergoeding der kosten, schaden en interessen, welke door schuld of nalatigheid des waarnemers mogten veroorzaakt zijn, te matigen, naar gelang der omstandigheden, die hem tot de waarneming der zaak bewogen hebben.* Vix operae est monere pleraque hoc loco pendere ab arbitrio iudicis, certas vero normas non posse statui.

2°. non tantum omnem culpam sed et casum praestat.

a. ex contractu: si causam fingamus eiusmodi ut convenerit inter duas personas, si alter in posterum alterius negotia gereret, casum praestatum iri L. 22, C. de neg. gest.

b. Si nova et insolita negotia negotiorum gestor gesserit. L. 11, D. de neg. gest.


c. Si casum culpa praecesserit: Vide h. l. imprimis Chambon. l. l. p. 106 seqq.

Heredes negotiorum gestoris praestant *levem culpam;* etiam eam, quae a defuncto est commissa. Sunt qui latam culpam tantum praestandam contendant, ad instar heredum curatoris, qui dolum et latam culpam tantum praestant. Sed magnum inter utrosque existit discrimen. Commoda enim domini tuenda sunt ab eo, qui *sua sponte* susceperit eius negotiorum gestionem.

An iure *compensationis* et *retentionis* utatur negotiorum gestor in sequenti capite videbimus.



CAPUT TERTIUM.



§ 12.

DE OFFICIIS DOMINI NEGOTIORUM.

Art. 1393 C. C. Num plures domini teneantur in solidum? An iure retentionis et compensationis gaudeat neg. gestor?

Ne quis miretur me neque de domini neque de negotiorum gestoris iuribus diserte disputasse. Rem enim qui paullo accuratius considerat, statim, ni fallor, videbit iura negotiorum gestoris eadem esse, atque officia domini negotiorum et sic quoque contra. Si igitur de officiis domini negotiorum locuti erimus, iura simul erimus complecti negotiorum gestoris.

Quibus autem officiis dominus negotiorum adstringitur docet art^{s}. 1393 C. C.

Degene, wiens belangen door een ander behoorlijk zijn waargenomen, is gehouden de verbindtenissen, door den waarnemer in zijnen naam aangegaan, na te komen, denzelven schadeloos te stellen wegens alle persoonlijke door hem aangegane verbindtenissen, en aan hem alle nuttige of noodzakelijke gedane uitgaven te vergoeden.

Itaque debet:

1°. Stare obligationibus, a negotiorum gestore, domini nomine contractis.

2°. Indemnem praestare gestorem de omnibus obligationibus personalibus, ab eo contractis.

3°. Reddere impensas omnes tam utiles quam necessarias.

Quodsi negotiorum gestor plurium dominorum negotia gesserit singuli praestandis officiis pro rata parte tenentur. Licet enim de mandantibus statutum sit, ut si plures sunt, omnes obligentur in solidum, inspecto art°. 1318 C. C. dubium fere esse non potest quin huius articuli vis ad negotiorum dominos proferri nequeat. Toullier, l. l., § 48; cl. van Assen, *Leiddraad*, § 414.

Verum est autem negotiorum gestionem iure Romano ad exemplum contractus mandati esse formatam, et varias constitutiones, quae de mandato valerent ad negotiorum gestionem esse accommodatas, ubicumque utriusque contractus natura ferret. Nil mirum enim apud populum, in quo ius non de repente ortum erat, sed temporum tractu magis magisque excoli coeperat. Causa si qua ageretur, cui nondum erat prospectum, quaerere solebant, quid in simili causa in simili contractu fieret, et si quod de mandato statutum esset non abhorreret ab indole negotiorum gestionis, eandem constitutionem negotiorum gestioni adaptare haud abs re esse videbatur. Sed quis de iure nostro idem diceret? Analogiam existere inter mandatum et negotiorum gestionem non facile quis neget, at iudici ex analogia ius esse dicendum haud facile, puto, quis iure contendat. Quoniam lege consecratum est ut iisdem officiis

adstringatur negotiorum gestor ac mandatarius, no inde sequitur iisdem iuribus eum uti. Pari mod quoniam mandatario ius tribuitur retentionis, art^{s}. 184 C. C. idem ius negotiorum gestori tribui vehemente nego. Mandatum enim, quamquam iure Francico ***contra de bienfaisance*** dictum, non modo mandantis grati receptum existimatur.

Apparet inde, quod liceat mandatario honorarium acci pere, quo expressis verbis art^{i}. 1394 C. C. negotiorun gestori interdicitur. Qui aliena negotia, i. e. aliena com moda gerit, in commodum *tantum* domini gerere prae sumitur; est amicitiae, est familiaritatis, est summae benevolentiae officium, quo defungitur. Quod si dubitet num a domino in posterum ratum habeatur, si timeat ut postea impensas a se factas recuperet, non aggrediunda ipsi est negotiorum gestio, quam si inchoaverit, sibi imputet, si indemnem servare dominus deinde recuset. Iure tamen retentionis, quippe cuius mentio nulla facta est, non utitur.

De iure *compensationis* si quis quaereret, plane aliud quid locum habet. Regulae generales compensationem spectantes in Codice nostro scriptae sunt inde ab articulo 1461 usque ad 1471. Spectant omnia debita, nec quidquam refert unde ducant originem. Nulla iam est dubitandi ratio cur non identidem in negotiorum gestione valerent, quippe quae inter exceptiones articuli 1466 C. C. non est recepta.

Videndum de singulis domini negotiorum officiis, quibus et iura gestoris continentur. Sunt autem ut supra vidimus tripertita.

§ 13.

DE NECESSITATE DOMINO IMPOSITA STANDI OBLIGATIONIBUS A NEG. GESTORE CONTRACTIS.

An possessionem possit domino acquirere?

1°. Debet stare obligationibus a negotiorum gestore, domini nomini contractis.

Per se patet hic requiri ut negotia recte a gestore sint administrata. Quodsi ab initio contra voluntatem domini gesserit, dominus non tenebitur. Idem valet de gestore qui contraxerit de negotio, quod geri domini non interest, vel quod negotiorum gestor sciebat aut prorsus non aut alio modo a domino administrari. In mandato tantum quaeritur an ex recepto mandato mandatarius egerit; in negotiorum gestione hoc casu pleraque relicta erunt arbitrio iudicis. Caeterum verba legis satis sunt perspicua, operae pretium ergo non videtur diutius in hisce morari.

Negotiorum dominus an per gestorem possessionem possit acquirere quis dubitat. In iure nostro eadem esse recepta videntur, quae iure Romano valuerunt. Legimus enim in l. 24 D. de neg. gest.: Si ego hac mente pecuniam procuratori dem, ut ea ipsa creditoris fieret proprietas quidem per procuratorem non acquiritur. Potest tamen creditor etiam invito me ratum habendo pecuniam suam facere, quia procurator in accipiendo creditoris duntaxat negotium gessit; et ideo creditoris ratihabitione liberor.

Possessor scire debet et velle possessionem sibi acquiri.

Propterea negotiorum gestor alteri acquirere potest a

quo tempore negotium ratum fuerit habitum. Cf. l. T. 2, § 2, Pauli in Sent. Rec. et l. 42, D. § 1 poss. laudatae a Savinio in praeclaro opere de ***iure p sessionis*** (ed. 6ª, § 26, pag. 366). Quid valeat nostro vide in art. 596 C. C.: ***Men kan het bezit ee zaak verkrijgen, of door zich zelven, of door e ander, die in onzen naam heeft aangevangen bezitten. In het laatste geval, verkrijgt men bezit, zelfs alvorens men van het in bezit nemen zaak kennis heeft bekomen.*** Obscura haec viden doct. Goudsmit (*Gids*, VI, pag. 639) neque iniu Per se autem patet possessionem ignoranti domino ne tiorum non posse acquiri quoniam possessio sine ani possidendi cogitari nequit. Animus autem possidendi domino negotiorum ratihabitione demum significatur. statuitur in articulo nostro possessionem acquiri pos ab eo qui nomine nostro coepit possidere de mandata solo sermo, ut videtur, esse potest. Unus ille nomi nostro possidere coepisse potest dici, quoniam manda voluntatem nostram disertis verbis declaravimus. H vero constat possessionem demum acquiri domino neg tiorum a tempore ratihabitionis inde. Vide quoque Opzoomer (*Het Burg. Wetb.*, II, p. 32), cl. van Asse *Leiddr.*, p. 153.

§ 14

DE INDEMNITATE PRAESTANDA.

Quid si suo nomine gestor contraxerit.

2°. Debet indemnem servare gestorem de omnib obligationibus personalibus, ab eo contractis.

Sequitur hoc ex notissima iuris regula: neminem op

tere locupletari in alterius detrimentum. Quodsi suo nomine negotiorum gestor contraxerit, nec tamen finiente gestione tempus satisfaciendi obligationi venerit, dominus negotiorum quod gestor stipulatus esset, debet perficere. Quod si facere recusat vel facere negligit, negotiorum gestor si ex hac causa postea detrimentum capit, vel impensas facere debet, actione negotiorum gestorum contraria petere poterit, ut servetur indemnis. Cf. omnino Duranton, l. l., § 675.

§ 15.

DE IMPENSIS PRAESTANDIS.

Impensae utiles. Necessariae. Quo tempore utiles vel necessariae? Usurae.

3°. Debet praestare impensas omnes utiles vel necessarias.

In fine huius articuli 1393 anno 1824 pro *nuttige en noodzakelijke* scriptum est *nuttige of noodzakelijke*. Voorduin, V, p. 76. Sufficit ergo impensas fuisse utiles quamquam non essent necessariae. Si neque necessariae, neque utiles essent nihil repetet, quoniam hac causa commoda domini gessisse dici nequit. Diephuis, l. l., p. 550.

Videat quoque negotiorum gestor ne plus impendat, quam negotium videtur requirere; quae enim plus impenderit a domino repetere non potest. Diephuis ibid.

Nihil tamen opus est ut impensae utiles quoque sint tempore finitae gestionis dummodo probet negotiorum

gestor utiles fuisse eo tempore, quo sunt factae. Consentiunt in hoc, quantum scio, omnes de negotiorum gestione scriptores. Exempla affert DURANTON l. l. § 671.

Si v. g. negotiorum gestor aedes domini ruinam minantes fulserit, quae postea nulla gestoris culpa incendio deletae sunt; vel si equum sanandum curaverit, qui postea occubuit, quoniam impensae utiles erant, quo tempore factae sunt, dominus negotiorum gestorem indemnem servare debebit. TOULLIER l. l. § 51 et 52.

Monuisse hoc loco sufficit actionem negotiorum gestorum contrariam non posse institui nisi redditis a negotiorum gestore rationibus, cf. POTHIER l. l. p. 161.

Restat denique tractanda quaestio a quo inde tempore usurae negotiorum gestori sint praestandae? Art°. 1847 C. C. statuit: *De lastgever is aan den lasthebber interessen voor de gedane voorschotten verschuldigd, te rekenen van den dag, waarop de voorschotten gedaan zijn.*

Quam constitutionem etiam negotiorum gestorem spectare contendit DURANTON, l. l. § 674:

Nonobstant la règle que les intérêts ne courent que du jour de la demande, excepté dans les cas où la loi les fait courir de plein droit (art. 1153 in Cod. nostro art°. 1286), et le silence du Code sur le point de savoir si les intérêts des sommes déboursées par le gérant lui sont dus à partir du jour de ses avances, nous n'hésitons pas à le penser: il doit être traité à cet égard comme le mandataire, *puisqu'il est soumis aux mêmes obligations il doit avoir les mêmes droits*, il est tout au moins aussi digne de faveur. D'ailleurs puisque par l'effet de l'assimilation de ses obligations avec celles du

mandataire (art. 1372, in Cod. nostro art. 1390) il se trouve devoir les intérêts des sommes, qu'il a touchées dans sa gestion, et qu'il a employées pour son usage particulier et à partir de cet emploi; par la même raison le propriétaire doit être regardé à cet égard comme un mandant, or un mandant doit au mandataire l'intérêt de ses avances du jour où elles ont eu lieu (art. 2001, in Cod. nostro art. 1847). La loi à ce sujet doit être égale entre eux: c'est bien le moins.»

Durantonii sententia igitur duobus nititur argumentis 1°. quia eadem officia habet, iisdem uti debet iuribus, ac mandatarius; 2°. quia dominus negotiorum habendus est pro mandante. Quod ad primum pertinet contrarium in initio secundi capitis demonstrare conatus sum. Natura enim contractus mandati a negotiorum gestionis natura plane diversa est: altero loco aequum est ut qui aliena negotia gerit, et alterius pecuniam in suos usus convertit, (ergo sua ipsius negotia gerit, saltem a negotiis domini prorsus aliena) usuras debeat praestare ab eo inde die quo pecunia ista usus est. Si enim ipse dominus pecuniam habuisset easdem inde percepisset usuras, si negotiorum gestor pecuniam, nulli usui fortasse destinatam, foenori collocasset, easdem similiter usuras domino percepisset. Ergo qui negotiorum gestor pecunia domini utitur, hoc casu iisdem officiis, quibus alii, adstringitur. Non sunt ita pares negotiorum gestor et mandatarius. Sed alio argumento Diephuis idem ac Durantonius contendit, l. l. p. 351: *dat zij genoegzaam gegrond is in de verpligting, om alle nuttige of noodzakelijke gedane uitgaven te vergoeden, daar deze niet schijnen te kunnen gezegd worden* volledig

vergoed te zijn, zonder bijbetaling der interesse

Tota vero quaestio eo redit, utrum usurae sint nece saria sequela, accessorium naturale sortis, an tantu ad sortem ob specialem legem pertineant. Jam si codice nostrum evolvimus statim videbimus duas usurarum es species: usuras legitimas et conventionales. Usur autem legitimae sequela sunt quasi et sortis accesso rium, conventionales vero peti debent et ab eo inc solvendae sunt tempore. Itaque sanae rationi convenie esse arbitror, quoniam usurae hic praestandae nec sui legitimae, nec conventionales, ut usuras non solvat dom nus negotiorum nisi a tempore, quo a gestore petantu Separari possunt a sorte, ergo non video cur dicendus dominus negotiorum non omnino (*onvolledig*) impens negotiorum gestori restituisse.

TANTUM.

THESES.

I.

Frustra Donellus (Comm. de iur. civ. XII 28, 14), leg. 9, § 1, D. ad Sctum Maced. conciliare studuit cum l. 14, D. de reb. cred. Dispensisse videntur Icti Romani.

II.

Verba *non semper* in l. 72, D. de procur. sunt interpolata ob leg. 2 C. per quas pers. nob. oblig. acquir.

III.

L. 69, D. pro soc. quam explicare Bilderdijkius aliique sunt conati, recte explicari nequit.

IV.

Nodum in scirpo quaerunt, qui antinomiam esse existiment inter l. 1, § 1, D. de naut. caup. et stab. et l. 1. § 6, D. de furt. adv. naut.

V.

In l. 5, D. de cond. trit. ne obstarent l. 31, pr. D. de reb. cred. l. 38, § 7, D. de usur., l. 3, § 2, D. commod. Savigny (Syst. VI, p. 221), *condemnationis tempus* explicuit de tempore formulae conceptae. Vereor tamen ut *condemnatio* eo sensu usurpari soleat. Legendum potius: *litis contestationis tempus*. Vocabulum

litis propter praecedens *ait* facile excidere poterat deinde mutari a librariis *contestationis* in *condemna-tionis*.

VI.

Errat Donellus (Comm. de iur. civ., III, 20, statuens maritum, si velit, curatorem dare posse uxo mente captae.

VII.

Minus recte existimat Vangerow (Leitf. f. Pandvo I, p. 171) praescriptionem actionis depositi a traditio rei depositae capere initium.

VIII.

Recte cl. Blume (Rhein. Mus., VI, 38) in l. 8, D. d reb. cred. (duce cod. Flor. qui habet *ad mositum*) pr *appositum* legit *omissum*.

IX.

Gaii scripta ante l. 3, Theod. Cod. de resp. prud auctoritatem non habuerunt in foro.

X.

Errat Pomponius in l. 2, § 31, D. de O. I.: *Et qui magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat, quinqueviri constituti sunt, cis Tiberim et uls Tiberim, qui possint pro magistratibus fungi.*

XI.

Similiter error est notandus in eadem l. § ult. in f.: Non enim Vespasiani sed Domitiani temporibus Pegasus praefectus urbi fuit.

XII.

Ex loco Plautino (Pseud. act. 1, sc. 3, vs. 65—85) non tantum argumentum deducendum est de legis

Plaetoriae aetate, sed luculenter etiam apparet legem revera proposito eius, qui tulit, satisfecisse.

XIII.

Qui contra domini voluntatem ab initio sibi cognitam negotia eius gerit, iure nostro negotiorum gestor dici nequit.

XIV.

Potest mulier nupta negotiorum gestor esse sine consensu mariti.

XV.

Pro parte negotiorum gestor est, qui negotia sua alienis coniuncta gerit.

XVI.

Praeceptum art[i]. 168, al. 4 C. C. extendendum quoque est ad art[m]. 164 C. C.

XVII.

Qui Gaiam heredem omnium bonorum instituerat, legatum reliquit Titio, sub conditione ne testamentum impugnaret. Impugnat tamen Titius, dolo factum contendens (art. 940 C. C.). Causa cadit posteaque legatum a Gaia poscit. Contendo iure peti.

XVIII.

Ius decimarum est ius in re mobili.

XIX.

Creditoribus art°. 1113 C. C. nullo fere modo prospectum est: nam post eorum intercessionem alienatio rerum hereditariarum non est prohibita.

XX.

Pactum a creditore hypothecario factum ne debitor rem pignori datam alienaret, alienationem non prohibet.

XXI.

Tutores tenentur damni nomine a pupillis illati ex analogia art^{i}. 1403 C. C.

XXII.

Actio civilis ob homicidium ex art^{o}. 1406 competit omnibus adscendentibus, qui ab occiso ali solebant, quamquam lex de solis parentibus statuit.

XXIII.

Praeceptum art^{i}. 2001 C. C. etiam tum obtinet quum titulus vitiosus est ob vitium personae, ut si quis v. c. emerit ab illo, qui rem legibus distrahere prohibebatur.

XXIV.

Commissionarius non cogitur committenti nominare eum, quicum egit.

XXV.

Cons. de Pinto (Handl. tot het Wetb. v: Kooph., § 52) immerito reprehendit quod in art. 59 C. M. *de beurs* dicitur *de zamenkomst der kooplieden.*

XXVI.

Praeceptum art^{i}. 15 C. Meth. Proc. in C. C. non pertinet ad protestationem litterarum cambialium.

XXVII.

Constitutio in art^{o}. 356, al. 2 C. Meth. Proc. in Caus. Crim. longe praestat praecepto art^{i}. 39 C. Meth. Proc. in C. C.

XXVIII.

Licet art^{s}. 237 C. Meth. Proc. in C. C. generalis videatur excluduntur tamen casus, in quibus ipsa lex certum modum probandi indicavit, de quo mentio fit e. g. in artt^{s}. 202, 1451, 1604, 1719, 1888, al. 2 C. C.

XXIX.

Cassationi locus est si post interruptum iudicium criminale et sequenti die demum continuatum, ex actis (het proces-verbaal der teregtzitting) non constat testes altero die iusiurandum praestitisse.

XXX.

Codicem Poenalem patriae nostrae necessitatibus nullo modo esse accomodatum imprimis inde apparet quod cum caeteris codicibus legibusque specialibus non congruit. Sic v. c. componi non possunt art^{s}. 18, al. 1 C. P. et art^{s}. 4 C. C.: — art^{s}. 354 C. P. et art^{s}. 385, al. 1 C. C. — art^{i}. 66 et 67 C. P. et art^{s}. 209 C. Meth. Proc. in Caus. Crim.: — art^{s}. 6 C. P. et art^{s}. 19 legis, 19 Brumarii anni VI (apud Rondonneau, Coll. des Lois franç. III. p. 32) caet.

XXXI.

Nulla poena infligi potest ei, qui pecuniam minis alteri extorserit, non tamen iis minis, quarum mentio fit in art^{o}. 305 C. P.

XXXII.

Quum in art^{o}. 25 legis de munere tabellionis statutum sit: *De verschijnende partijen moeten den notaris bekend zijn of worden bekend gemaakt door twee getuigen*, per se patet duos illos testes tabellioni debere esse notos, quamvis nihil diserte in ipsa lege hac de re cautum sit.

XXXIII.

In poenam art^{i}. 26 leg. de mun. tabell. incidit tabellio, qui in instrumento coram se facto non indicaverit aliquem tamquam negotiorum gestorem egisse.

XXXIV.

Ex verbis Legis Imperii art^{i}. 63, al. 2 non appa
eum, qui peregrinam nobilitatem (vreemde adeldo
acceperit, desinere esse Neerlandum.

XXXV.

Quamvis omnibus civibus salutaris sit vaccinati
optandumque sit ut ab unoquoque adhibeatur sing
tamen cives cogi nequeunt liberos suos vaccinand
curare.

XXXVI.

Calumniatur Aeschines in Orat. in Ctesiph. contende
Areopagum fuisse ὑπεύθυνον.

XXXVII.

Nullae Athenis archontum partes fuere in Ecclesia.

7/31/29







